

## Alte Drucke

# Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XLVI.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122)



lis imitanda. Adolescens institutus est in studijs doctrinae & vniuersae sapientiae Aegyptiorum, Acto. 7. Pietas vera seu fides, qua reuic vocari filius filiae Pharaonis, potius eligens probris affici cum populo Dei, quam temporarijs peccati commodis frui, maiores diuitias ducens probrum Christi quam thesauros Aegypti, Ebraeos 11. Inuocatio Dei vera & ardens, cuius exempla & formae, in Exod. Numeris & Deuteronomio plurimae recitantur. Obedientia in vocatione, Exod. 3. 4. Fidelitas in rota domo Dei seu in rota gubernatione ecclesiae & populi Dei, Num. 12. Mansuetudo, constantia, patientia, &c. VI. *Exitus vitae seu mors descripta* Deut. 34.

In AARONIS celebratione, descriptio sacerdotij, & panopliae pontificalis praecipue obseruatu digna est. Est autem sacerdotium proprie nihil aliud, quam officium seu ministerium docendi verbum Dei, legem & euangelion de Christo. Et thymiamata precum pro se & alijs Deo adolendi & offerendi sacrificia, quae Deus ordinauit. Haec tria officia sacerdotum, docere, orare & sacrificia offerre, distincte in hoc Encomio recitat Syracides, cum inquit, Aaroni demandatum esse ministerium verbi DEI, vt doceret Iacob testimonia eius & illuminaret Israel per legem eius. Deinde vt Domino sacrificaret & incensum seu thymiamata .h. preces sanctas offerret. Repetatur itaque in hac Aaronis mentione, tota doctrina de sacerdotio, & discrimine inter summum sacerdotium Leuiticum & Christi, & sacerdotium commune omnibus Christianis. Huius doctrinae consideratio longe vtilior est descriptione vestium & reliqui ornatus sacerdotalis, cuius explicatio ex cap. 28. Exod. assumatur. *Honorauit Aaron adhuc amplius, & dedit illi hereditatem, nempe omnes primitias.* De primitijs Num. 15. dicitur. Seriem summorum sacerdotum ab Aarone & Phinees nepote Aaronis, vsque ad tempora Iesu Syracidae contexam infra capite vltimo.

## Caput XLVI.

**J**ESU Naue, erat heros in bello, & propheta post Mosen, qui victorias excellentes obtinuit, pro electis Dei (sicut & nomen eius sonat) & ulciscabatur se de inimicis, a quibus affligebantur, vt Israel acciperet hereditatem suam. Magnifice inclaruit, cum extenderet brachium, & gladium stringeret aduersus vrbes potentes. Quis vnquam tam animosus in acie stetit & perstitit? Ipse cepit & prostrauit hostes Domini. Propter ipsum stetit sol, & dies vnus bidui longitudinem habuit. Inuocauit altissimum & potentem illum, cum urgeret hostes suos, & Dominus ille Deus magnus exaudiuit eum, & cadere fecit lapides  
 Jii gran-



Chyfr

grandinis maximos super inimicos, & occidit aduersarios in descensu. Et senserunt gentes, cuiusmodi telia & tormentis hic populus instructus esset, & quod Dominus ipse praesens adesset eis in bello, & in fugam conuerteret potentes quosuis. Et tempore Mose, ipse & Caleb filius Iephune, fecerunt opus bonum & excellens. Ibi steterunt contra multitudinem, & prohibuerunt populum a peccato, & compescuerunt seditionem nocentissimam. Ideo & hi duo soli seruati sunt inter sexcenta millia virorum, & populum duxerunt in terram, lacte & melle fluentem, ut eam possiderent. Et Dominus seruauit Caleb, viresq; & robur corporis eius, usque in senectutem, ut ascenderet ad montana in terra, & semen eius possideret terram, ut omnes filij Israel viderent, quam praestans & bonares sit, obedire Domino. Et **IUDICES** quilibet secundum nomen & familiam suam, qui non idolatriam sequuti a Domino defecerunt, etiam valde celebrantur. Ossa eorum subinde adhuc (ut cubant) virent. Et nomen eorum floret apud filios, ad quos transmissum est. Et **SAMVEL** propheta Domini a Deo dilectus, constituit regnum, unxit principes super populum, iudicauit multitudinem iuxta legem Domini, & Dominus rursus respexit Iacob, & propheta inuentus est relictus, sincerus & fidelis. Et cognoscebatur, ac constabat prophetias eius certo veras esse. Inuocabat Dominum illum omnipotentem, cum undique premeret hostes suos, & agnos teneros offerret. Et Dominus de caelo intonuit, & dedit vocem suam in magna tempestate, & contriuit principes Tyri & omnes principes Philistin. Et ante mortem, antequam e viuis discederet, testabatur coram Domino & uncto eius, quod a nullo accepisset pecuniam, imò ne calceum quidem, & nemo poterat eum accusare. Et cum iam obdormiisset, adhuc prophetabat, & regi denunciabat finem vitae suae, & vocem addidit de terra, & prophetauit impios interituros esse.

## C H R O N O L O G I A.

Anno mundi	I E S V S seu I O S V A filius Nun de tribu Ephraim, Num. 13. Dux populi Iudaici & propheta post Moysen, <i>ὁμοειπὸς</i> & typus saluatoris nostri Iesu Christi, qui filios promissionis Abrahæ per Iorda-
------------	--

Iorda-



- Anno mundi Iordanem huius vitæ & mortis, in requiem vitæ æternæ intro-  
 ducit.
2401. Nascitur in Ægypto, patre Nun, ex tribu Ephraim, 1. Paral. 7.  
 2415. Caleb nascitur.
1453. Iosua minister Moyſis, ex Ægypto per mare rubrum egressus,  
 proſtigat Amalechitas, precante Moyſe, Exod. 17.  
 Post aliquot dies vna cum ſuo domino Moſe aſcendit in mon-  
 tem Sinai, Exod. 24. 32.
2454. Iosua & Caleb cum cæteris explorant terram Canaan,  
 Numer. 13.
2493. Iosua ordinatus in ducem populi Iſraël, Numer. 27. Deut.  
 31. 34.
- Introducitur filios Iſraël per ſiccaturum Iordanis aluenum in terram  
 promiſſam, Iofu. 3. 4. 5. & excellentes ac mirandas victorias obri-  
 net pro electis Dei, Iof. 6. 8. 10. 11.
- Propter ipſum SOLIS curſus à Deo inhibitus eſt, vt tota  
 die in vno cœli loco fixus conſiſteret, & hoſtes Amorrhæi lapidi-  
 bus de cœlo ruentibus oppreſſi ſunt in deſcenſu Bethoron, Iof. 10.
2500. Caleb filius Iephonne, anno ætatis 85. accipit partem terræ  
 in tribu Iuda. videlicet urbem Hebron & vicinum, Iof. 14. 15.  
 Iud. 1. 1. Regum. 30.
2511. Iosua moritur.

IVDICES SEC VNDVM NOMEN ET  
 FAMILIAM SVAM.

2511. Othoniel, filius Cenez, fratris Caleb, ex tribu Iuda 40. annis,  
 Iud. 3.
2551. Ehud, filius Gera, ex tribu Benjamin 80. annis.
2631. Debora, vxor Lapidoth, ex tribu Ephraim, & Barac, filius A-  
 binoam, ex tribu Nepthalim, Iud. 4. 5.
2671. Gedeon, filius Ioas, ex familia tribus Manassæ, Iud. 6. 7. 8.  
 annis 40.
- Abimelech, filius Gedeon 3. annis, Iud. 9.
2714. Thola, filius Phuæ, de tribu Iſaſchar 23. annis, Iud. 10.
2737. Iair Galaadites, Iud. 10.
2759. Iephthe Galaadites, Iud. 11. 12.
- Aheſan, de tribu Iuda }  
 Ahialon, ex tribu Zabulon } Iud. 12.  
 Abdon, ex tribu Ephraim }
2790. Samſon, filius Mamre, ex tribu Dan, Iudic. 13. 14. 15. 16. 17.
2810. Heli ſacerdos 40. annis, 1. Reg. 1. 2. 3. 4.
- Huius tempore SAMVEL propheta natus eſt, 1. Reg. 1. 2.  
 ex poſteris Chore filij Iſuar, patruſi Aaronis, 1. Paral. 6.
2850. SAMVEL propheta incipit iudicare populum Iſraël: Inuo-  
 cat Dominum & agnos teneros offert, & glorioſam victoriam ad-  
 uerſus Philiſtinos à Deo impetrat, 1. Reg. 7. Syrac. 46.
- Conſtituit Iſraëlitis regem Saul, 1. Reg. 8. 9. 10.
- Priusquam è viuſis diſcederet, teſtatur ſe ſumma integritate &  
 inno-



Anno mundi 2850. innocentia magistratum gessisse, Et nemo poterat illum accusare, I. Reg. 12.

Arguit Saulem non obedientem mandato diuino, & pronunciat eum à Deo abiectum esse, I. Reg. 15.

Vngit D A V I D E M, I. Reg. 16.

Morieur, I. Reg. 25.

Mortuus adhuc prophetabat & regi denunciat finem vite sue, I. Reg. 28. Nec verò ipsa Samuelis anima, sed spiritus, formam seu simulacrum Samuelis assumens, Pythonissæ interitum Saulis prædixit.

## Caput XLVII.

**D**E I N D E tempore Dauidis prophetabat Nathan, & Dauid inter filios Israël electus, non aliter atq; adeps in sacrificijs Domino offerendus. Tractauit Leones ac si luderet cum capreolis, & vrsos quasi agnellis coludens. In iuuentute sua occidit Gigantem, & liberauit ab opprobrio populum. Lenauit manum suam, & funda iaculatus est, & Goliath superbum prostrauit. Nam inuocauit Dominum altissimum, hic corroboraui manum eius, ut occideret bellatorem fortem, & exaltaui cornu populi sui. Cantari de eo fecit publice: Saul mille percussit, Dauid autem decem millia, & honoraui eum benedictione Dei, ut corona regia insigniretur. Undiq; contriuit hostes, & Philistæos aduersarios suos deleuit, et confregit cornu eorum, sicut & in hodiernum diem confractum est. Pro quolibet opere egit sancto illi & altissimo gratias cantico iucundo. Ex corde psallebat, & diligebat eum, qui creauit ipsum. Cantores constituit apud altare, et canēda eius tradidit sua suauissima cantica. Constituit dies festos celebrandos sanctè & religiose, & ut annua festiuitates magnificè celebrarentur, ordinauit, laudando nomen Domini, & canendo mane in sanctuario. Dominus remisit ei peccata ipsius, & cornu eius exaltaui in eternum, & fecit patetum cum eo, regnum & solium regni Israël, in ipso mansurum esse.

Post ipsam, rex factus est sapiens filius eius S A L O M O N, cui pater pacatam reliquit Rempublicam, ut gubernaret omnia in pace. Nam Deus omnia in circuitu pacauerat, ut nomini eius